

diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinqvamus. *l. liberorum*
220. §. 3. in fin. ff. de V. S. Per matrimonium igitur (ut Imp. Justinia-
 nus in *Pref. Nov. 22.* illud dignissimè commendat) humano generi
 immortalitas quasi artificiosè videtur introduci, manentq; ex filio-
 rum procreatione renovata genera: regiones inde (ut *Novell. 140.*
pref. habet) frequenter redduntur, optimæq; Reipubl. fit coagmen-
 tatio. Multis proinde privilegiis honorata est passim à multis po-
 pulis prolium fœcunditas, & à DEO T. O. M. præmii & singularis
 benedictionis loco pollicita, uti contrà sterilitatem in opprobrium
 & supplicium quasi Parentibus immittit. DN. Myler. *Gamalog. Illustr.*
c. 19. §. 2. & seqq. Nostri etiam sacratissimi legumlatores adeò de
 juribus liberorum solliciti fuerunt, ut dubitem, an major cura de
 ulla alia materia Ipsos tenuerit. Non culpandus ideò ero, qui
 poscente instituti mei ratione alicujus materiæ elaborationem hanc
 præ aliis eligere & exposito in lectione (ceu vocant) cursoria libe-
 rorum jure personali, jam de jure eorum reali subicere volui. Quo-
 niam autem materiæ hujus prolixitas instituto meo non respondet,
 ideò de filiis, saltem agam, utpote qui capita sunt familiarum
Cothman. resp. 35. n. 30. vol. 3. hancq; soli adaugent & conservant; cum
 filia è contrario & caput & finis sit suæ familiæ, inq; aliam familiam
 liberos & res suas edat *l. pronuntiatio. 195. §. 5. ff. de V. S. §. 3. J. de*
patr. post. Cothmann. resp. 17. n. 21. vol. 4. Alciat. ad tit. ff. de V. S. d. §.
 Et quidem primùm in genere præmittam differentiam filiorumf. &
 sui juris ratione rerum, quidq; peculium, unde dictum, & quotuplex
 sit; deinde specialius secundum *l. 40. §. 1. ff. de pecul.* quatuor quasi
 ejusdem ætates, videl. quo modò constitutatur, accrescat, de crescat
 & finiatur, percurram. Quod si benè cesserit, Deo meo id omne
 omninò acceptum feram: si verò hallucinatus aliquando fuero,
 Tuam B. L. candorem imploro, meliusq; monenti nunquam non
 me cessurum promitto.

T H E S I S.

Generalia

I.

Differentia
 filiorumf. &
 sui juris ra-
 tione rerum.

I.

Quemadmodum filii sui juris facti patrumfam. jure gaudent,
 & liberam suarum rerum habent dispositionem, modo ætatis,
 vel alia, etiam aliis patribusfam. obstant ratio non impediatur:
 ita